

mœnia circumvectus suos monere. Sed quum ad Romani portam venisset, offendit ibi Justinianum Longum, gravi vulnere affectum, ac jam de deditioe cogitantem. De qua faciendâ, ubi coram etiam verba facere est ausus, neque precibus neque hortationibus ullis confirmari posset, cerneretque circa illum pugnantes, jam fractis animis, fugam circumspectare, ferunt Palæologum ipsum locum subiisse cum paucis, quos penes se habebat, tentasseque vi hostem jam muros scandentem repellere. Verum ubi propugnatorum infrequentia barbarum irrupentem sustineri non posse vidit, tum sibi manum injicere voluisse creditur. Inde, quia id parum Christiani hominis esse succurrit, suos hortatus est, ut se ferro transfigerent. Quibus facere recusantibus, honestiore ad mortem via ingressus, imperatoriis insignibus depositis, ne cognitus vivus caperetur, stricto ferro in irrupentium barbarum cuneum irruit, fortiterque pugnando Princeps æterna memoria dignus, hostili manu concidit; cadensque nobilissimi imperii excidio imperatorium miscuit cadaver. Illi postea media cætorum strage reperto caput Othomani jussu est abscissum, totaque urbe ac castris circumlatum. Sunt qui dicant, eum, ad Romani portam fugientium strage edita, cum multis in ea trepidatione exanimatum, ac paludamento postea cognitum. Capta urbe, ac aliis alio dilabentibus, quo videlicet amens fuga, aut spes aliqua salutis hos vel illos rapiebat, maximus mortalium concursus ad Sophiæ sanum, tanquam ad asylum quoddam est factus. Ibi magis tentata pugna quam edita, perditis rebus, & illi, qui in templo erant, deditioem fecere. Nec hostium classis in tanta opportunitate cessavit. Venetæ enim triremes, ac cætera classis cum multis, qui sub primam hostium irruptionem ad navem præcipiti se fuga contulerant, retinendæ urbis spe abjecta, continuo inde solverant. Multos igitur mortales barbaræ naves circa littora intercepte: urbs tota direpta est, puellæ ac pueri stuprati, matronæ nefandis concubitibus (ut gens intemperantissima est) vexatæ, puberes, si quos fortuna a cæde servavit, in-

*Constanti-
nopolis tan-
dem capi-
tur.*

fer.